



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE ECCLESIA|| TRIVMPHANTE,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XIX. Soluitur argumentum septimum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53909)

non solùm sunt sanctæ propter significationem, sed etiam propter artificem. In quo genere excellebat imago Edessena, quæ ab ipso Christo facta credebatur: necnon imago sancti Stephani, quæ ab Angelo formata & allata fuisse putatur, de qua Euodius lib. 2. de miraculis.

TERTIA causa est, quia aliquæ magis excitant ad pietatem, quàm aliæ, cùm sint magis piæ, & religiosæ, &c. porro peccaturi ad imagines accedimus, nõ vt inuocemus imagines, sed vt memoriam eius, quem orare volumus, nobis imago refricet. Peregrinationes ad imagines rariores sunt in Ecclesia; ordinariè enim peregrinationes ad reliquias, & loca sancta fieri solent, vt ad sepulcrum Domini, ad limina Apostolorum, ad S. Iacobũ, ad domum Virginis Lauretanæ, &c. si quæ tamen peregrinantur ad imagines, illa tria spectant, quæ diximus.

CAPVT XIX.

Soluitur argumentum septimum.

AD ARGUMENTUM SEPTIMUM, ad primam rationem, quòd imago non sit capax honoris, cum sit res inanima, & sensus, ac rationis experta. **R**ESPONDEO, inde solùm probari, imaginem non esse honoris capacem propter se. & idèò imagines non honorari absolute, sed relatiuè ad prototypum.

AD SECVNDAM dico, imaginem esse sanctam propter duos PRIMOS, propter significationem, & repræsentationem rei sanctæ, & hoc modo quælibet imago Christi, vel Sanctorum in officina existens, potest honorari.

SECVNDO, propter Ecclesiæ institutionem; nam quem admodum calices, & vestes, & ipsi homines eo ipso fiunt sacri, quod dedicantur cultui diuino, & separantur à profano usu; ita etiam imagines fiunt sacræ, cùm ponuntur ab Ecclesia in templis, vel aliis locis sacris, non vt pascant oculos curiosorum, sed vt excitent memoriam & amorem Sanctorum, & seruiant cultui rerum sacrarum. in cuius rei signum solent esse quando imagines benedici, & precibus sacerdotalibus quodam modo sacrari, antequam in templis collocentur.

AD TERTIAM dico. PRIMO, hominem vt imaginem Dei esse dignum veneratione, vt supra ostendimus ex Cyrillo ca-

tech. 12. & Augustino epist. 203. Dico SECVNDO cum Thoma Waldensi, tomo 3. de sacramentalibus titul. 19. cap. 154. hominem non proponi ab Ecclesia colendum vt imaginem Dei, quia periculum esset, ne homo propter se coli putaretur; nam etiam propter se homo capax est honoris.

CAPVT XX.

Proponitur quaestio: Quo genere cultus imagines sint honoranda.

VENIO nunc ad postremam quaestionem, quo genere videlicet cultus dignae sint imagines. Tres sunt sententiae.

PRIMA, quod imago non sit vlllo modo in se colenda, sed solum coram imagine colendum exemplar. ita quidam, quos refert, & refellit Catharinus: idem videtur sensisse Alexander 3. part. quaest. 30. artic. vlt. necnon Durandus lib. 3. sent. dist. 9. quaest. 2. & Alphonsus à Castro verbo, Imago. Fundamentum huius sententiae est, quia secundum Basilij sententiam in VII. Synodo saepius repetitam, honor imaginis transit ad exemplar; non ergo, inquiunt hi Doctores, in imaginem terminatur: proinde ipsa imago non est quae honoratur, sed solum per illam, & in illa honoratur exemplar. Et confirmatur ex verbis, qui dicuntur compositi tempore VII. Synodi, qui que visuntur Venetiis in aede aurea antiquissimo opere incisa, & referuntur à Sabellico lib. 8. Enneadis 8.

Nam Deus est quod imago docet, sed non Deus ipsa: Hanc videas, sed mente colas quod cernis in ipsa.

Quod autem dicitur de imagine Christi Dei, dici etiam posset de imaginibus Sanctorum, nimirum; Nam Petrus est quod imago docet, sed non Petrus ipsa, &c.

SECUNDA opinio est, quod idem honor debeat imagini & exemplari, & proinde Christi imago sit adoranda cultu latrae, B. MARIAE cultu hyperduliae, Sanctorum aliorum cultu duliae. Ita Alexander 3. part. quaest. 30. art. vlt. B. Thomas 3. part. quaest. 25. artic. 3. & ibidem Caietanus, B. Bonaventura, Marsilius, Almayn, Carthusianus, Capreolus, & alij in 3. distinct. 9. idem etiam habet Henricus quod lib. 10. q. 6. quam-